



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Manifesta oppugnatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

limur, unde mox deturbati, in profundissimam tartari voraginem præcipitamus. Hujus, inquam, pelagi causa navis illa tot olim numis cusa, divinitus adventuram miseris mortalibus salutem indicavit. Ac ne de præfagio dubitemus, in ipsius Jani numis, tam gemino capite barbato, quam etiam imberbi, uti habetur in argenteo, in quo etiam navis cum rectiore, litera superne C. FOST. neque non in aliis videre passim est inscriptionem, ROMA. Romæ enim pietatis nostræ principatum, & in togata præcipue gente constituendum, ut Evangelicam interim veritatem prætereamus, vel Maro ipsæ præmæ intelligentiæ actus spiritu divinavit, dum Jovem inducit asserentem,

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Eu. lib. 1.

Cui quidem imperium sine fine concessisset: quippe quod eorum institutiones essent in omnem terrarum orbem, ut Theophylacti verbis utar, exituræ, neque ullo unquam tempore defuturæ. Neque vero mirum in Marone homine divini muneris experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, divinationis lumen illuxisse: quia verisimile est eum in hujusmodi vaticinio, ex veterum arcanis aut Marci, aut Sybillæ, aut Hetruscorum, prædictionem illam excerptisse. Vel quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam unquam nationem aspernari compertus est: quare Balaam legitimus hominem & alienigenam, & piorum hostem, præclara tot super Israelitarum successu divinasse.

SOSPITAMENTUM. CAP. VI.

Usurpatur etiam pro periculo, ut in eadem navis, à Cic. lib. 2. Epist. ad Curion.

IN Q. Nasidii numo navis est cum velo, & stella in antenna, & ab altero latere caput cum tridente, & inscriptione, NEPTUNI, subaudiendum, ope vel auxilio servatos. Hoc enim Stella significat in antenna sita, de qua loco suo inter cælestia.

MANIFESTA OPPUGNATIO. CAP. VII.

Q. Nasidii numisma. Non dissimile plenius velis navigare à Cl. Sertone pro Domo sua.

Quoniam vero obiter in velum incidimus, minime præterundum videtur, quod dici solet, *Velificatione plena in quempiam ferri*, quod est, aperto Marte, inimicitii minime dissimulatis, rem aggredi, hostemque laceßere.

OCCULTA OPPUGNATIO.

CAP. VIII.

Conto navigare.

Hilic contrarium est, *Conto remulcove navigare*, cum tacite quispiam insidiatur, atque, ut vulgo etiam dici solet, *Subaquanea uti opera*. Locum hunc ad hanc propemodum sententiam interpretatur Ammianus, rerum gestarum libro 18. dicens: Non conto neque remulco, ut ajunt, id est, non flexilous ambagibus, vel obscuris, sed velificatione plena in Rempublicam ferebatur, quamvis aliter expositum sit in collectaneis Suidæ, Proverbio *κόιντα πλεον* quod quisquis ille fuerit, exponit, *ἢ γυν παροσηκόντας ζῆν.*



Conto navigare.

LUNÆ VECTATIO. CAP. IX.

Isidis navis.

Quod navigium in Isidis honorem Ægyptii coluerint, sunt qui raptam eam ab Jove navi, cujus insigne Vacca esset, arbitrentur: sed commentitium hoc mihi videtur. Magis autem ad Ægyptiorum eruditionem quadrat, quod Plutarchus ait, Lunam apud eos navigio vehi fictam. Hanc Isidis navem Apulejus multis donariis ornat. Diodorus fabricatam à Sefoltri navim ex cedro octuaginta cubitorum ait longitudine, deauratam exterius, interius vero deargentatam, quam dono obtulit Deo, qui Thebis ab Ægyptiis colebatur. Is Isis erat.

NAVIGATIONIS AUTHORES. CAP. X.

IN Tyriorum numo navis est cusa, nimirum ea de causa, quod ipsis Tyriis commentum placet, navigationis primæ se authores haberi. In hujusmodi eorum numo legitur ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΑΝ. Est & alius cum eadem navis longa numus, in cujus altera facie caput est cum